

A PITUITA SALSA quæ accidunt, mediò se habent modò.

REMOTIORIBUS à causis distinctè proponere signa, eademque repetere opus haut est, cum quilibet eadem facili negotio eruere queat è fontibus.

CAPUT XXV

prognosin adgreditur i. salutis & mortis.

Prognosis magni ab *Hippocrate librò prognosticorum suorum* est habita. Hæc medicum nobilitat, ægrotisque ut magis placeat, facit, dum illorum res scrutatur & perpendit, ipsisque statum morbi explicat, & modum eventus, an ad salutem, an ad mortem, prædicit.

Difficilis aliàs prognosis, in ACUTIS tamen facilior, at incerta est, quia licet coctionis signa non adsint, tamen alia adsunt, quæ morbum satis periculosum demonstrant. In causò FALLAX sæpè est, cum materiâ subitâ translatione naturæ robur turbet & deprimat.

Tres, ex quibus causi eventum & terminationem cognoscimus, sunt fontes.

SALUTIS & MORTIS prognostica signa deducuntur i. *ab essentialiter inherentibus*, quæ respiciunt INTEMPERIEM hæc in febre nimis excedentem. Quò intensiora sunt sitis & calor, eò majora evadunt periculum salutis & metus mortis. Nam juxta *Hippocr. 4. aphor. 43. οἱ πυρετοὶ ὀνόσοι μὴ ἀγλείποντες ἀφ' αὐτῆς ἰχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ὀπικίνδυνοι. Quæcumque febres non intermittentes tertio die validiores evadunt, periculose existunt.*

Ardens febris, licet ab *Hippocrate librò i. de morbis*, intra τῷ ἐνδοιαστῷ νοσήματι, dubii exitus morbos referatur, periculosa tamen satis est per se, cum MAGNA sit febris, ratione affectæ partis, vivificum cordis nectar incendit, exhaurit, marcoremque τῇ ζωικῇ ἀρχῇ inducit.

Pericu-